

TESTAMENTUM DOMINI DIACONUS

LIBER .I.

De constitutione ecclesiae

XIX.1. Dicam igitur vobis, quomodo oportet ut sit aedes sacra, deinde declarabo regulam sanctam de sacerdotibus ecclesiae. Ecclesia itaque ita sit: habeat tres ingressus in typum Trinitatis. **Diaconicon** sit e regione dextera ingressus, qui a dexteris est, ut Eucharistiae sive oblationes, quae offeruntur, possint cerni. Habeat **Diaconicon** atrium cum porticu circumambiente.

XIX.6. Commemorationis causa aedificetur locus, in quo considens sacerdos cum **protodiacono** et lectoribus inscribat nomina eorum, qui offerunt oblationes, vel pro quibus ii obtulerunt, ut, cum ab episcopo sacra offeruntur, lector vel **protodiaconus** nominet illos in commemoratione, quam pro illis sacerdotes coetusque supplicantes faciunt. Talis est enim et typus in coelo. Locus presbyterorum sit intra velum prope locum commemorationis. Xorbanas et gazophylacium integrum sit prope **diaconicon**.

XIX.7. Locus legendi lectiones extra altare parum ab ipso distet. Aedes episcopi sit prope locum, qui vocatur atrium. Item ibidem sit aedes viduarum, quae dicuntur habentes praecedentiam sessionis. Aedes presbyterorum et **diaconorum** sit post baptisterium. **Diaconissae** autem maneant apud portam domus dominica. Habeat ecclesia in proximitate hospitium, in quo **protodiaconus** recipit peregrinos.

De oblatione sacrificii missae

XXIII.1. Sabbato offerat (episcopus) tres panes in symbolum Trinitatis; die vero dominica quatuor panes in typum evangelii. Dum offert (episcopus) oblationem, velum portae (sanctuarii) sit expansum in signum aberrationis veteris populi, et offerat intra velum una cum presbyteris, **diaconi**, viduis canonicis, **hypodiaconi**, **diaconissis**, lectoribus (et) habentibus charismata.

XXIII.2. Primus in medio consistat episcopus, et post ipsum immediate sistant presbyteri hinc et inde, et post presbyteros, qui sunt in parte sinistra, sequantur proxime viduae, post presbyteros, qui sunt in parte dextera, stent **diaconi**, et post hos lectores, et post lectores **hypodiaconi**, et post **hypodiaconos diaconissae**.

XXIII.4. Antequam episcopus vel presbyter offerat, populus det sibi invicem pacem. Deinde, magno facto silentio, **diaconus** proclamet:

Eucharistia seu gratiarum actio super oblationem.

XXIII.19. **Diaconus**: Sollicite supplicemus Dominum et Deum nostrum, ut nobis concedat concordem mentem spiritus. Episcopus: Da nobis concordem mentem in Spiritu sancto, et sana animas nostras per hanc oblationem, ut vivamus in te per omnia saecula saeculorum. Populus: Amen.

XXIII.22. Suscipiat prius clerus sequenti ordine: episcopus, dein presbyteri, postea **diaconi**, hinc viduae, tunc lectores, tunc **hypodiaconi**, deinde qui charismatibus fruuntur, et recens baptizati (et) pueri. Populus autem hoc ordine: Senes, virgines (seu coelibes), deinde ceteri. Ex mulieribus primo **diaconissae**, deinde cetera.

XXIII.24. Qua oratione finita, sumat. Accipiens autem ex calice, dicat semel iterumque: Amen, in plenitudinem corporis et sanguinis. Postquam sumpserint omnes, orent confitentes et gratias agentes pro sumptione, proclamante **diacono**: Confiteamur Domino, cum ex sanctis eius (mysteriis) accipimus, deprecemur et supplicemus, ut in vitam et salutem animarum nostrarum sit haec sumptio, retribuentes doxologiam Domino Deo nostro.

De laudatione ad auroram

XXVI.2. Ad primam collaudationem aurorae, prope adstantibus presbyteris, **diaconis**, ceterisque (clericis) nec non fidelibus, sic dicat (episcopus): Gloria Domino. Populus: Dignum et iustum est.

Laudatio aurorae.

XXVI.14. Psallant psalmos et cantica quatuor, unum quod ex Moyse, (alia) ex Salomone et ex prophetis alia sic: Psallentes pueruli, duo virgines, tres **diaconi**, tres presbyteri.

De lectionibus sacris et homilia

XXVII. Post haec compleatur oratio: et exinde lector legat prophetas et ceteras (lectiones); presbyter autem vel **diaconus** legat evangelium; demum episcopus vel presbyter doceat quae convenient et proficiunt. Deinceps fiat oratio, et catechumeni suscipiant manus impositionem.

De iis quae incumbunt presbytero

XXXI.11. Discernat eiusmodi causas, et illos, qui digni sunt, alloquatur; illos vero, qui non recipiunt verbum (cum fructu) nequaquam moretur. Qui enim semina in terra iniiciunt sine fructu, miseriam metent. Presbyter, uti par est et decet, circumlustrat domos aegrotorum una cum **diacono**, eosque visitet; cogitet et dicat, quae ipsis convenient et utilia sunt, maxime fidelibus. Hortetur, ut aegrotis, qui pauperes sunt, ab ecclesia subveniatur, ut qui misericordiam exercuerint, ingrediantur in gaudium Domini. Eos, qui fuerunt recenter erudit, confirmet eloquiis propheticis et evangelicis in verbo doctrinae.

De electione ddiacon

XXXIII.1. Ordinatur in **diaconum**, qui secundum praecedenter dicta fuerit electus, si sit bonae vitae, si purus, si propter suam puritatem et exemptionem ab illecebris fuerit electus. Sin minus, sit saltem, qui coniunctus fuit matrimonio cum una uxore.

XXXIII.2. Habeat testimonium omnium fidelium, ipsum non fuisse implicatum mundi negotiationibus, eundemque nescire artem, non possidere divitias, neque prolem habere. Si vero habuit iam uxorem, vel si ei liberi sunt, discant ipsius filii pietatem colere, et puros se exhibere, utpote qui placere ecclesiae debent in ministerio. Illis porro provideat ecclesia, ut et ipsi vacent legi et ministerii exercitio.

XXXIV.1. Is autem (id est **diaconus**) in ecclesia quae oportet perficiat. Ministerium vero (ipsius) sit eiusmodi: primo, quae ab episcopo praecipiuntur tamquam nuntianda, tantummodo exequatur; sit quoque consiliarius totius cleri et veluti mysterium (seu symbolum) universae ecclesiae. Inserviat aegrotis et peregrinis, adiuvet viduas, sit quasi pater orphanorum, circumlustrat domos egenorum, ne quis versetur in angustia, vel morbo aut calamitate laboret.

XXXIV.2. Circumlustrat domos catechumenorum, ut confirmet titubantes erudiatque ignorantes. Vestiat ornetque viros, qui obierunt; peregrinos sepeliat, dux sit eorum qui ex suis mansionibus migrarunt, aut qui in exilium pelluntur; faciat ecclesiam certiores de iis, qui in egestate sunt; episcopum non disturbet, sed sola die dominica ei omnia commemoret, ut ipse sit certior factus de omnibus.

XXXIV.3. Sit vigiltempore conventus, et circumeat per ecclesiam inspiciens, ne quis iactator, aut ioculator, aut explorator, aut vaniloquus reperiatur, illumque reprehendat, omnibus videntibus et audientibus, eiiciatque foras, qui meretur poenam, ut exinde ceteri vereantur. Si praefatus ipsum roget, ut permittat ei communionem, consolationem illi perhibeat.

XXXIV.4. Si vero persistat in suo delicto, aut in sua agendi ratione inordinata, referat de illo ad episcopum, separeturque septem diebus, et deinceps vocetur, ne abripiatur. Si veniens adhuc persistat in suo peccato, abscindatur, donec vere eum poeniteat, revertaturque in se, supplicetque, ut admittatur.

XXXIV.5. Si **diaconus** in urbe littoris maris est, circumlustrat celeriter loca littoralia, si forte sit ibi, qui naufragio mortuus est, eumque vestiat sepeliatque. Item in hospitio investiget, num ibidem adsit aegrotus, aut in egestate constitutus, aut mortuus reperiatur, et de illis doceat ecclesiam, ut eis, ut convenit singulis, provideat. Paralyticos et infirmos lavet, ut quodammodo isti respirent a suis morbis. Cuique, per ecclesiam, tribuat quae ei conveniunt.

XXXIV.6. In ecclesia noti sint duodecim presbyteri, septem **diaconi**, quatuor **hypodiaconi** (legendum quatuor lectores) et tres viduae habentes praecedentiam sessionis.

XXXIV.7. Qui inter **diaconos** ceteris prstantior diligentia reputatur vel administratione, eligatur ut sit susceptor peregrinorum. Maneat hic in hospitio, quod in ecclesia est, vestem albam indutus gerensque super humerum orarium tantum.

Proclamationes diaconi

XXXV.1 In omnibus sit (**diaconus**) tanquam oculus ecclesiae, notum faciens cum metu, quomodo sit populo exemplum pietatis. Proclamat autem sic:

XXXV.2. Surgamus: Quilibet locum suum noscat; Catechumiabeant; Videte, ne quis immundus, ne quis socors; Sursum oculos cordium vestrorum; Angeli inspiciunt; Videte: qui non confidit, abeat; Concordi mente supplicemus; Ne quis adulter, ne quis iratus; Si quis peccati servus existit, abeat; Videte: tamquam filii lucis rogamus; Supplicemus Dominum, Deum salvatoremque nostrum Iesum Christum.

XXXV.3. Incipiente dein presbytero vel episcopo orationem, populus oret et genua flectat. **Diaconus** autem sic dicat: Pro pace, quae de coelo est, supplicemus, ut Dominus sua miseratione nos pacificet. Pro fide nostra supplicemus, ut tribuat nobis Dominus, usque ad extremum, fidem, quae in ipso est, vere custodire. Pro concordia et unani-

mente supplicemus, ut Dominus in una mente spiritus nos conservet. Pro patientia supplicemus, ut Dominus in omnibus afflictionibus concedat patientiam usque in finem. XXXV.4. Pro apostolis supplicemus, ut Dominus det nobis ei placere, ut et ipsi illi placuerunt, dignosque nos efficiat ipsorum haereditate. Pro sanctis prophetis supplicemus, ut Dominus nos cum eis adnumeret. Pro sanctis confessoribus supplicemus, ut Dominus Deus det nobis eadem mente ac ipsi terminare (vitam).

XXXV.5. Pro episcopo supplicemus, ut Dominus noster eum longaeum in fide conservet, ut, rumpens recte verbum veritatis, praesit ecclesiae in puritate et sine reprehensione. Pro presbyteris supplicemus, ne Dominus auferat ab iis presbyteratus spiritum; utque eis diligentiam et pietatem usque in finem concedat. Pro **diaconis** supplicemus, ut Dominus eis tribuat cursum perfectum currere, sanctitatem perficere, et recordetur laboris et charitatis ipsorum.

XXXV.6. Pro presbyteris (feminis) supplicemus, ut Dominus exaudiat earum supplicationes et perfecte in gratia spiritus custodiat ipsarum corda, adiuvetque earundem laborem. Pro **hypodiaconis**, lectoribus et **diaconissis** supplicemus, ut Dominus tribuat eis mercedem accipere in patientia. Pro fidelibus saecularibus supplicemus, ut Dominus det eis fidem perfecte custodire.

XXXV.7. Pro catechumenis supplicemus, ut Dominus det eis, ut digni fiant lavacro remissionis, sanctificetque eos signaculo sanctitatis. Pro imperio supplicemus, ut Dominus ipsi pacem concedat. Pro principatibus excelsioribus supplicemus, ut Dominus det eis intelligentiam et timorem sui. Pro universo mundo supplicemus, ut Dominus cuique consulat, concedens singulis, quae convenientiunt.

XXXV.8. Pro navigantibus et iter facientibus supplicemus, ut Dominus illos dirigat dextera misericordiae. Pro iis, qui persecutionem patiuntur, supplicemus, ut Dominus eis det patientiam et scientiam, ipsisque tribuat laborem perfectum. Pro defunctis, qui ab ecclesia migrarunt, supplicemus, ut Dominus iis locum quietis concedat. Pro iis, qui sunt in lapsu, supplicemus, ut Dominus insipientiarum illorum non recordetur, et ut ab eis minas temperet.

XXXV.9. Nos quoque omnes, qui egemus orationibus, supplicemus, ut Dominus protegat, conservetque nos in spiritu placido. Oremus, supplicemusque Dominum, ut suscipiat nostras preces.

XXXV.10. Expletis itaque proclamationibus a **diacono**, episcopus signum manu det, et **diaconus** dicat: Surgamus in Spiritu sancto, ut, iam sapientes effecti, in eius gratia crescamus, cum in ipsius nomine gloriamur, et super fundamentum apostolorum aedificemur, orantesque supplicemus Dominum, ut annuens suscipiat orationes nostras. Episcopus deinceps perficiat. Populus dicat: Amen.

De officiis diaconi in conventu sacro

XXXVI.1. Talis sit porro **diaconus**, ut appareat habens timorem (Dei), pudorem, modestiam, perfectam agendi rationem in fervore spiritus. Attente inspiciat ingredientes in sanctuarium, inquiratque, quinam illi sint, ut discernat, num sint agni, an potius lupi, et post inquisitionem introducat eum qui dignus est, ne contingat, ut explorator intret, libertasque ecclesiae impetratur, et totum peccatum super caput eius concidat.

XXXVI.2. Si quis advenit sero ad conventum, sive cum laus aurorae persolvitur, sive cum sacrificium offertur, maneat foras, quicunque ille sit, neque ipsum **diaconus** introducat: figura est enim futuri diei iudicii, et ne tumultus, qui fit in introductione, sit

causa divagationis iis, qui orant. Accedens itaque et ianuam clausam inveniens, ne pulset ob praemissas rationes.

XXXVI.3. Post expletam iam inchoatam collaudationem, fidelis, sive vir sive mulier ille sit, ingrediatur, et **diaconus** proclamet: Super sacrificium vel super laudem supplicemus, ut Dominus in libro vitae nostram supplicationem inscribat, et Deus saeculi recordetur nostri in lucidis et sacratis suis mansionibus.

XXXVI.4. Propter fratrem, qui sero venit, supplicemus, ut Dominus ei diligentiam et laborem concedat, relaxet ab ipso omne ligamen mundi huius, tribuatque ei voluntatem dilectionis, charitatem et spem. Pari modo de sorore, aut **diaconissa**, quae tarde venerint et extra manserint, proclamet **diaconus**, ut populus universus pro iis supplicet. Porro cum **diaconus** praefatos sic commemorat et proclamat, augetur diligentia et consolidatur charitatis vinculum, negligensque seu piger corripitur.

De officio diaconi quoad delinquentes

XXXVII.1. Si quaedam mulier a viro aliquo violentiam patitur, accurate investiget **diaconus**, an ipsa sit fidelis, numque vere violentiam passa sit, et an qui rapuit illam, non sit ipsius amasius. Et si (post inquisitionem) noverit mulieri reapse rem sic accidisse, eandemque lugere ob violentiam, quam passa est, ad aures episcopi deferat, ut ostendatur, ipsam omnino pertinere ad communionem ecclesiae.

XXXVII.2. Violentum autem raptorem, si fidelis est, ne **diaconus** introducat in ecclesiam ad communionem, etiamsi poenitentiam agat: si vero est catechumenus, poenitentiamque agit, baptizetur et ad communionem admittatur.

XXXVII.3. **Diaconus** catechizet poenitentiam agentes, ducatque ad presbyteros vel ad episcopum, ut erudiantur et cognitione imbuantur. Si **diaconus** (non?) potest fungi ordine **diaconatus**, perseveret saltem in oratione, et veluti laborem reputet supplicationem, meditationem, dilectionem, viam, luctum, et pae oculis timorem (habeat), vocabiturque filius lucis.

De ordinatione diaconi

XXXVIII.1. Ordinatio **diaconi** ita fiat: episcopus solus ei manum imponit; non enim ad sacerdotium ordinatur, sed ad ministerium famulatus episcopi et ecclesiae.

XXXVIII.2. Episcopus oret super **diaconum**: Deus, qui omnia creasti, et per verbum ornasti, qui in mundis puris requiescisti, qui per prophetas tuos ministrasti nobis vitam sempiternam, nosque lumine scientiae illuminasti, Deus, factor magnarum rerum et totius gloriae auctor, Pater Domini nostri Iesu Christi, quem misisti ad tuam voluntatem adimplendam, ut omne genus humanum liberetur,

XXXVIII.3. et nobis declarasti et ostendisti mentem tuam, sapientiam tuam, visitationem tuam, Filium tuum dilectum Iesum Christum, dominum lucis, principem principum et Deum deorum, emitte spiritum gratiae et diligentiae super hunc famulum tuum, ut ei detur studium, quies, magnanimitas, virtus placendi tibi.

XXXVIII.4. Da ipsum, Domine, operarium legalem absque confusione, mitem, amatorem orphanorum, amatorem coletum pietatem, amatorem viduarum, ferventem spiritu, amatorem bonarum rerum.

XXXVIII.5. Illumina, Domine, quem dilexisti et elegisti ad ministrandum ecclesiae tuae, offerendumque in sanctitate sanctuario tuo, quae tibi offeruntur ab haereditate principatus sacerdotii tui, ut ministerio fungens sine reprehensione et pure et sancte et

mente candida, dignus fiat ordine hoc magno et excelso per voluntatem tuam et te laudet indesinenter per Filium tuum Unigenitum Iesum Christum Dominum nostrum, per quem tibi gloria et imperium in saecula saeculorum. Populus: Amen.

De Confessoribus

XXXIX.1. Qui testimonium et confessionem emittit se fuisse in vinculis, in carcere et in tormentis propter nomen Dei, manus ei propter hoc non imponatur ad **diaconatum**, neque item ad presbyteratum. Habet enim honorem cleri, cum per confessionem a manu Dei protectus fuerit. Si in episcopum autem ordinatur, dignus est quoque impositione manus.

De viduis.

XL.5. Exhortetur mulieres inobedientes, erudiat ignorantes, reas convertat, doceatque illas, ut sint pudicae, **diaconissasque** perquirat. Quae introeunt, efficiat ut sciant, quomodo et quaenam ipsae esse debeant; et, quae extra manent, adhortetur. Eis, quae audiunt, consilium patienter praebeat de iis, quae bona sunt. Inobedientes post tres admonitiones non alloquatur. Foveat illas, quae cupiunt esse in virginitate vel puritate.

XL.6. Corripiat modeste et pacate sese exhibentes ex adverso. Cum omnibus sit pacifica. Superflua et vana loquentes privatum reprehendat, si vero non audiunt, sibi adiungat mulierem aetate provectam, aut deferat ad aures episcopi. In ecclesia taceat, in oratione sit assidua, visitet aegrotas, omni die dominico secum adducens **diaconum** unum aut duos, easdemque adiuvet. Si possidet aliquid, eroget illud in pauperes et fideles. Si autem non possidet, ab ecclesia adiuvanda est. Nihil operetur saeculare, tamquam in probationem.

LIBER II

De missa catechumenorum

IV.1. Silente paeceptore, catechumi orient seorsim a fidelibus, egredianturque, ut fideles discant, dum legit presbyter vel **diaconus** novum testamentum aut evangelia.

De exorcizandis electis

VII.1. Die autem sabbati congreget episcopus suscepturos lavacrum (sacrum) et, clamante **diacono**, iubeat genua flectere. Facto deinde silentio, manum super eos imponat, et exorcizans dicat:

VII.16. Si, dum episcopus exorcismum profert, aliquis exagitetur, repenteque exsurgens float, vel clamitet, vel spumet, vel dentes frendat, vel procaciter adspiciat, vel admodum se extollat, aut celeri impetu abreptus evadat, si quis eiusmodi (deprehendatur), a **diaconis** abscondatur, ne perturbatio fiat, dum episcopus loquitur. Qui eiusmodi fuerit, exorcizetur a sacerdotibus, donec mundetur et tum baptizetur.

De baptismo solemini

VIII.9. Cum sint signandi oleo in unctionem, episcopus oret super illud (oleum) et gratias agat, item aliud (oleum) exorcizet exorcismo catechumenorum. Illud quidem, quod exorcizatur, deferat **diaconus** et prope ipsum sistet presbyter. Qui igitur sistit prope

oleum, super quod fit oratio gratiarum actionis, sit in parte dextera, et qui sistit prope aliud (oleum), quod exorcizatur, sit in parte sinistra.

VIII.11. Hinc illum convertat versus orientem et dicat illi: Dic: Submitto me tibi, Pater, Fili et Spiritus sancte, a quo omnis natura trepidat et pavit, da mihi ut omnia tua placita sine macula perficiam. Deinde episcopus tradat illum presbytero, qui baptizare debet. Baptizandi stent nudi in aquis. Cum baptizando descendat et **diaconus** simili modo.

De communione iisdem danda

X.1. Hinc (recens baptizati) una cum universo coetu orent. Oblatio a **diacono** deferatur (ad episcopum) et ab episcopo gratia agantur.

X.2. Panis quidem offertur in typum corporis mei, calix vero miscetur vino cum aqua mixto ad significandum sanguinem et aquam lavacri, ut et homo interior, qui spiritualis est, mereatur ea, quae sunt similia, quemadmodum et corpus. Omnes iuxta predicta sumant ex eucharistia, quae offertur, dicentes: Amen. **Diaconi** circumvolvent (flabellas?).

X.7. **Diaconus** ne praebeat communionem eucharisticam presbytero, sed discooperiat patenam vel pyxidem, et presbyter ipse (ex illa) sumat.

X.8. **Diaconus** populo communionem distribuat manu. Absente presbytero, et necessitate urgente, **diaconus** baptizet.

De hebdomada Paschae

XI.3. Offeratur lucerna in templo a **diacono**, qui dicit Gratia Domini nostri cum omnibus vobis, et omnis populus respondet: Et cum spiritu tuo.

De nocte sabbati paschae

XIX.1. **Diaconos**, qui transeunt inter mulieres, ne ibidem forte reperiantur pueri inordinati, adiuvent lectores. Idem praestent hypodiconi. Ne sinant autem pueros dormire. Est enim illa nox, maxime autem, quae subsequitur sabbatum, imago regni coelorum.

XIX.5. Virgines simul maneant in templo, et episcopus opem iis ferat curamque gerat earum, **diaconique** ipsis ministrent. Presbyterae maneant apud episcopum usque ad tempus matutinum, orantes et requiescentes.

De solemnitate paschae

XX.5. Si quis fidelium morbi causa domi maneat, **diaconus** ipsi deferat sacrificium (id est eucharisticam communionem).

XX.7. Si mulier praegnans aegrotet, et nequeat observare jejunium illis duobus diebus, ieunet altera die, sumatque in prima panem et aquam, et si nequit accedere (ad ecclesiam), **diaconissa** ad ipsam deferat communionem.

De sepeliendis egenis et peregrinis

XXIII.5. Si quis postulet, ut post mortem unguento condiatur (ipsius cadaver) carent id **diaconi**, presente presbytero.